

116.

1692, 129

28

DISSERTATIO MORALIS
DE
ACTIONUM
MORALIUM, QVÆ
JURIS NATURALIS OBIECTUM
CONSTITUUNT, MATERIALI ATQVE
FORMALI,

Quam
Divina adspirante gratia
& Ampliss. Senatu Philosophico consentiente

SUB PRÆSIDIO

DN.

M. JOH. BALTHAS. WERNHERI,
IN CELEBERRIMA LIPSIENSIMUM
ACADEMIA

Ad d. XXII. Septemb. A. C. M. DC. XCVII.

Publicæ Philosophorum censuræ
fficit

JOHANNES HEINRICUS SOMMER, Lig Sil.
SS. Theol. Stud.

H. L. Q. C.

LIPSIÆ,
Literis BRANDENBURGERIANIS.

2

PROOEMIUM.

Natura & nota lis est de Juris Naturalis objecto. Et ea quidem non tam pristinis temporibus, quam hoc seculo à Summis Viris agitata. Quamvis autem veritas ab illa parte haud dubie militet, quae pro rebus per se honestis, vel per se turpibus contendit; altera tamen etiam tanti, si verum amas, acuminis tela jicit, ut, nisi quis circumspetè agat, haud difficulter sanè in illius devia deduci possit. Ego certè, cum nuper admodum eandem controversiam paulò attentius tecum commentarer, iis me difficultatum laqueis irretitum sensi, quibus non facile me expeditissim, nisi, quae forte in manus devenerat, à Magno Viro hinc Lipsiæ habita eruditissima disputatio auxilium tulisset. Quo factum, ut ad liberandum me omni dubio, præcipua deinde in chartam conjectrem; in quorum veritate ut magis confirmarer, super iis dem cum Celeberrimis Academiæ hujus Philosophis conferre visum. Cujus consilii exequendi cum aliam rationem non viderem, publicè id facere institui. Quamobrem hoc animo illa in Disputationis redigiformam, quem laborem, cum non ui, sed mei exercendi gratiâ à me suscepimus sit, in æquorem, confido, partem interpretaberis.

A 2

Aetio-



A. Ω.

Actionum moralium materiale atque formale, quantum per harum pagellarum paucitatem licet, excusurum, nihil existimamus potius, quam ut in fronte statim, quid per actionem moralem velimus intellectum, breviter exponamus. Neque vero ambigimus, omnium Moralistarum, quamvis in diversissimas circa hanc materiam partes abscedentium sententias saltem in hoc convenire, quod actio moralis sit actio humana cum honestate vel turpitudine conjuncta. Ex quo actionis moralis conceptu etiam aliquo modo liquere puto, quidnam vocemus actionis moralis materiale atque formale. Nempe materiale actionis moralis est omne id, quod est in ea physicum, & quod a potentissimis humanis tantum effectus procedit; qualis est membrorum corporis humani motus, quatenus a facultatibus animae, intellectu & voluntate suo modo venit. Per formale autem intelligitur qualitas seu affectio moralis, secundum quam actio honesta vel turpis est. De utroque uberior nunc consideratio instituenda.

26
§. I.

Materiale alias etiam formalis subjectum appellari solet. Ubi probandum, ne per subjectum intelligamus Hominis animam, vel ipsum Hominem, qui alias suarum actionum subjectum audit. H. I. enim subjecti vox cum materiali coincidit, & est illud, quod cum honestate vel turpitudine.

pitudine conjuncta actionem moralēm constituit, qvod neque de Hominē, neque de ipsius anima asseri potest. De hoc vero materiali actioni moralium celebris hoc seculo agitata inter summos Viros est quæstio, an illud sine respectu ad legem consideratum moralitatēm in nonnullis cōficienibus involvat, an vero sit indifferens? Pro utraque parte magna ingenia pugnārunt. Et videor mihi operae pretium facturus, si eam ubi tū nunc & enucleatiū excutiam; & novā quidem hac vice, atque aliās in disputationibus inusitatā viā, procedam. Libet duos veluti adversarios introducere, & utrumq; qvā fieri potest, infensiissimis argumentationum telis armare, experimentumq; facere, uter validius causam suam comprobaturus sit. Prior ejaculetur tela sua, qvem ego quidem magis imbellem judico, scilicet qvi Indifferentismū defendit; Et deinde singulatim removeri faciam ab altero, sub cuius imagine ipsemet serio pugnabo. Sed ipsum jam loquenter certantemq; audiamus: Materiale actionum moralium, in se & solitariè consideratum, quatenus ab omni ad legem respectu abstrahimus, indifferens esse, & neque bonitatem neque malitiam moralēm involvere, haud difficile probatu est. Indifferentia enim hæc clarissimè vel ex solo actionis moralis in nobis conceptu demonstrari potest. Cum enim concipiimus actionem moralēm, id non sit uno aliquo & simplici mentis intuitu, sed evidenter quidem in ea cognoscimus physicū aliquid, cuius causa statim mentis est obvia; procedere nempe intelligimus à potentia activa in subiecto agente, quatenus ea terminatur ad subiectum recipiens. Sed & præterea aliquid concipiimus, per qvod actio moralis ab aliis actionibus differt. Quid vero id est? Tu moralitatem vocas? Sed quid concipiis sub moralitatis voce? Honestatē, sis, vel turpitudinem actus; Nondum acquiesco; neque enim ex eo adhuc tuum conceptum intelligo: Quid enim, qvæso, honestatē vel turpitudinis vox in mente tibi repræsentat? Devenierūs tandem ad relationem, de qua nunc dīspicendum, qvalis ea sit, & qvem agnoscat terminum. Nam si relationem ad legem intelligis, largiris, qvod volo. Sed dices, moralitatem te concipere per relationem ad subiectum agens, qvod ista actio vel decet vel dedecet, propter usum genuinum vel abusum rationis, qva præ cæteris animalibus homo gaudet. Sed quid est uti vel abuti ratione? Annon utrumque respectum dicit ad legem socialitatis homini à DEO liberè impressam? Moralitas ergo omnis actioni humanæ est extrinseca. Et sanè, qvō quis attentiū ad hunc de actione morali conceptum attendit, cōclarissim

lem illius, qvod in ea actione est materiale, indifferentium deprehendit. Luculentum enim est, moralitatem sine respectu ad legem conceipi non posse, ut adeo dicere, moralitatem citra legis determinationem dari, contradictione videatur in adjecto esse.

§. II.

Et hanc actionum moralium quoad materiale Indifferentiam illud etiam confirmat, qvod multæ actiones materiale communè habent, quæ tamen quoad moralitatem toto cœlo à se vicinem differunt. Ita v. g. extensio manuum constituit materiale diversissimarum actionum, quæ vel convenient cum lege, ut si illa extensio fiat, cùm preces ad DEum funduntur, panis mendico porrigitur, aut miser in terram delapsus sublevatur. Vel disconveniunt, ut si illa extensio fiat ad surripiendam rem alienam, ad occidendum innocentem &c. In quibus profectò actionibus clarè animadvertisit identitas quoad materiale, ut adeo extensio manuum in iis sit indifferentis; qvodque à se differunt, id à convenientia vel disconvenientia cum lege est, quæ materiali extrinsecus advenit, & actionem vel bonam vel malam in genere morum efficit. Evidens enim est, idè nefas esse, rem proximo auferre, quia ipse in eam ius aliquod per legem habet, qvod si jam igitur illam legem mente removeas, proximo etiam nullum ius in eam amplius constabit; utpote qvod omne per legem haberat, & sic nullaratio est, cur non eam tollere, mihiique habere liceat: Eodem modo peccatum occisionis proximi à sola legis prohibitione deducitur, à quo si abstrahamus, nihil obstat, qvò minus ipsi vitam adimere non sit indiffratus.

§. III.

Inde etiam est, qvod multi actus humano generi cum brutis communes ab homine quidem sine gravissima culpe pœnaque reatu non perpetrantur, à brutis verò sine ullo scelere sunt. Qod sane discrimen non à materiali istiarum actionum est, utpote qvod utrobius planè idem, sed ex eo solo, qvod lex materiale hoc in se indifferens ex parte brutorum, quidem tale, quale in sua natura est, reliquit, ex parte hominum verò imposita moralitate ad alteram partem determinavit. Qvamvis enim homeratione

ratione gaudeat, qvâ bruta desituntur, ea tamen solitariè spectata sibi
que relicta, prout nullam legis notitiam habere concipitur, nullam
actionibus moralitatem imponere potest. Sed illud solum fortasse ipsi
supererit, ut distingvere sciat actiones humano generi proficcas ab iis, unde
de ipsum detrimentum capit, qvod tamen actiones nondum bonas vel ma-
las in genere morum facit. Et ne quis hic me sophistam credat, cogite,
eandem differentiam etiam in actionibus brutorum deprehendi, neque ta-
men idèo eas bonas vel malas in genere morum esse.

§. IV.

Videntur autem ex hac de actionum moralium qvoad materiale in-
differentia multa absurdia atqve impia excupi posse. v. g. furtum, homi-
cidium, scortationem, adulterium esse indifferentia. Argumentum foret
tale: Si actiones omnes morales, qvoad materiale sunt indifferentes, se-
quitur: Homicidium, furtum, adulterium esse licita. Posterius est absur-
dum, ergo & prius. Sed in hoc argumento desideratur nexus; inde Major-
rem ita limitamus: Si actiones morales qvoad materiale sunt indifferentes,
sequitur etiam furtum, adulterium &c. esse indifferentia, scil. qvoad ma-
teriale. Sic Major limitata, transeat totum argumentum. Neqve enim
ullum quantumvis magnum scelus aut peccatum qvoad materiale, qvod
in eo involvitur, pro moraliter malo haberi potest; Qvòd enim aliquid
est peccatum, qvod moraliter malum est, id omne à suo formalii, discon-
venientia nimurum cum lego habet.

§. V.

Libet præterea querere, si moralitas actionibus nonnullis citra legis
impositionem competeteret, unde necessarius ille moralitatis cum actioni-
bus nexus penderet? Qvòd si ais, eam actionibus ex intrinseca earum na-
tura inesse, nihil agis; Qvæ enim talis actionum natura est, qvæ ex se mo-
ralitatē regirat? Nam sanè, cum homo cogiter, id ex ejus natura evi-
denter deducitur, nimurum qvia est rationale aliquid, h. c. qvia est ani-
mal, qvod habet facultatem ratiocinandi, unum ex altero colligendi &c.
qvod absqve cogitatione fieri non potest. At nunc ita clarè atqve eviden-
ter dederas tu mihi ex actionum natura, h. c. ex motu earum physico bo-
nit a-

nitatem vel malitiam moralem? Sed dices, hanc actionum naturam ab aeterno ad alterutram moralitatis partem esse determinatam; sed quis ita determinavit? Aut enim DEus ira determinavit, aut aliquid extra DEum.. Si prius existimas, nihil a me diversum dicis, si posterius assertis, quare quidnam illud sit? Ubi vel haerebit aqua, vel principium assertetur aeternum, quod, tanquam diversum a DEO, cum ipso DEO stare non potest.

§. VI.

Repugnat etiam haec triplex. Moralitatis necessitas libertati summi Entis. Hinc ita arguo: Quid se haber antecedenter ad voluntatem Divinam, illud voluntati Divinae necessitatem afferit, adeoque ejus libertati repugnat. Atque moralitas actionum nonnullarum antecedenter schabet ad voluntatem Divinam, uti illi, qui indifferentismum hunc negant, volunt, Ergo. Sed quare; potuisse ergo DEus, quae praecepit jure naturali, vetare, & pricipere, quae ibi vertuit, v.g. surreptionem rei alienae, occasionem proximi facere licitam, dilectionem contra proximi, veneracionem parentum illicitam? R. Posita ea natura, quam nunchomo habet, & quare ei DEus liberrimè attribuerat, eum actionibus alias moralitatem imponere non potuisse, quia ministrum alias contravenisset suæ ipsius voluntati finique, quem in creatione hominis sibi proposuerat. Adeoque ceterus hanc moralitatis necessitatem concedimus, quatenus ea nititur illa natura, quam DEus homini liberrimè attribuerat. Ita, cum DEus creasset hominem rationalem atque socialem, non poterat lesionem proximi facere licitam, utpote quod sustulisset finem, quod DEUS creando animal sociale respicerat. Inde distingue licet inter necessitatem absolutam & hypotheticam. Necessestas, quæ DEus actionibus nonnullis moralitatem imposuit, non erat absoluta, seu omnem considerationem circumstantiarum, excludens, sed hypothistica s. conditionalis, h.e. fundata in natura, quam hominem habere liberrimè DEus voluerat.

§. VII.

Atque haec sententia confirmator fiet, si consideremus, quid sit bonum vel malum morale; utique enim in eo intelligimus involvi respectum quendam ad personam, ex parte cuius datur obligatio ad hoc faciendum, & illud

& illud contrà omittendum, obligatio verò dicit relationem ad superiorem, à quo ea dependet. Neque est, quod fortasse dicas, ideo hominem esse obligatum, quod ratione gaudeat. Quin potius per & propter rationem intelligit homo, se alii, eiже superiori obligatum esse, adeoque citra respectum ad istam obligationem & per consequens ad legem, nihil ipsi moraliter bonum vel malum est. Quae indifferentia eo magis est credenda, quod alias Deus à causa morali peccati excludi non posset. Cùm enim influxu reali atque positivo ad materiale peccati concurrat, nulla ratio dari videtur, quia à peccato liberari posset, si illud materiale in se intrinsecè moralitatem involveret.

§. VIII.

Atque huic, pro indifferentia materialis in actionibus moralibus, pugnanti sententia ipsa S. S. patrocinari videtur; Illa enim definit peccatum scil. abstractè, per *ἀρνία* s. privationem reftitudinis cum lege. Hinc ita infero: In quaunque actione non datur *ἀρνία*, ea non est peccaminosa. Atqvi in nulla actione citra respectum ad legem considerata, datur *ἀρνία*; esset enim manifesta contradicatio. Ergò nulla actio citra respectum ad legem considerata est peccaminosa, & proinde omnium actionum materiale est indifferens. Idem confirmat Seldenus de J. N. & G. I. I. c. 4. cùm ait: *Ex jure efficitur in actionibus discrimen boni & mali*, s. turpis & honesti. In personis nascitur inde ad officium exequendum obligatio & debitio. Quod pertinet etiam illud Platonus: πάσα πεῖται ὡς ἔχει αὐτὴν φύσιν τομένη ψυχὴν, εἴ τε φύγει. δον οὐδὲν ημές ποθεῖεν, η πίνει, η διαλέγεθαι, η πέπλον ανθέκασθαι οὐδὲν εἰδέν, οὐδὲν τὴν περιέθεσθαι, οὐδὲν περιχθῆν, ιστρετον διπέπη, καλός μὲν γδὲ περιθόμενος καὶ τεθῶς, καλὸν γίγνεσθαι, μηδ ὄρθως δέ, διχεῖν.

§. IX.

Inde etiam facilè intelligitur, quo sensu sua veritas constet illi dicto vulgari: Precepta juris Nat. sunt aeternæ veritatis. Nempe non alter pro verò haberi potest, quam si vel per aeternitatem ejus immutabilitas indicetur in oppositione ad positivas leges, quæ pro vario statu Reipubl. voluntate que Legislatoris crebra mutationi subjecta sunt; Vél certè aeternitatis vox

200 respondeat, ita ut non ultra hominis creationem determinationemque
divinam retrahatur. Sed ait: Quid impedit, quod minus aeternitatis vox
in nativa sua & propria significacione accipiatur; si nimis habeatur re-
spectus ad scientiam DEI; quod ab aeterno ipse perspectum fuit, posita natu-
ra; quam homini attributus esset, certis actionibus moralitatemiri im-
positum? R. Sive respectus habeatur ad scientiam DEI naturalem, quatenus per eam DEUS res omnes ut possibiles cognovit, quae & inde scientia
simplicis intelligentiae audit, sive ad scientiam ipsius liberam, quod DEUS
omnes res, velut post liberum, decretum suum futuras cognovit, ob neu-
tram tamen praecipitis Juris Naturae aeterna veritas peculiariter attribui me-
retur, quippe eodem sensu omnes aliae actiones, in modo omnes res aeternae ve-
ritatis dicenda forent, quippe earum nulla est, quam non DEUS scientia
simplicis intelligentiae ut possibilem, & scientia libera s. visionis ut certo fu-
turam naturamque determinatam habituram cognovit.

§. X.

Non immerito etiam hic inquirimus in causis actus illius voluntatis
Divinae, quo actionibus sub objectum Jur. Nat. cadentibus moralitatem
imposuit; Et primò quidem queritur de causa efficiente. Est vero causa
efficiens vel formaliter vel virtualiter causans; illa habet se ad effectum ut
aliud & aliud, hec vero non est ab effectu distincta, sed habet se per modu-
lum rationis a priori. Inde facile appareat, actus illius voluntatis Divinae
non dari causam formaliter causantem, cum enim actus voluntatis Divinae
nihil aliud sit, quam ipsa essentia divina, si agnosceret causam formaliter
causantem, ab ea necessario dependerer, adeoque etiam essentia Divina
independens esset dependens, quod manifestam contradictionem involvit.
Causam autem actus hujus voluntatis Divinae virtualiter causans omnino
datur, & est ipse DEUS. Sed hec de causa efficiente nihil difficultatis ha-
bent. Illud est in perplexo, quamnam causam impulsivam agnoscat ac-
tus ille voluntatis, divina? Est autem; & hec duplex, vel προνοϊαί
littera, vel προκατεξιά s. externa; illa est justitia atque immutabilitas
divina, utpote quae DEUM intrinsecè movit, ut, ne fini per creationem ho-
minis à se intento contraveniret, actus alios vetaret, alios præcipere. Hac
vero, nempe προκατεξιά s. est natura homini libera attributa, hac enim
cum extrinsecus impulit ad moralitatem actibus nonnullis imponendam.

§. XI.

S. XI.

Hinc etiam, si queratur, quæ sit ea voluntas, quæ Deus istarum actionum, præcisè nonnullas fieri, nonnullas omitti voluit, naturalis aut libera? Non dubitamus asserere, eam liberam esse, & quidem liberam secundam seu consequentem. Quod enim naturalis non sit, liquet ex eo, quia hujus voluntatis objectum necessariam eamque absolutam habitudinem ad ipsum importare debet; quæ objectum voluntatis sua est ipse Deus, utpote in quo omnis ratio boni sine defectu apparet; talem autem absolutam habitudinem actiones istas ad voluntatem Divinam non importare, haec tenus satis est demonstratum. Erit ergo voluntas libera, eaque non antecedens, quia Deus non vetuit aut præcepit certas actiones absque omni circumstantiarum consideratione, sed consequens, utpote quæ nitebatur certa circumstantia subjecti, nempe natura Homini ex liberrima voluntate attributa. Quamobrem & decretum, quo ab aeterno Deus decrevit, actionibus nonnullis in tempore moralitatem imponere, non absolutum vocari posse, nulli ambigimus, utpote quod agnoscit causam impulsivam externam.

S. XII.

Ut vero hæc è clarius & evidenter appareant, libet stylo synthetico præcipua proponere. Principia tamen, quæ hic sequuntur, tam latarentur, ut facile appariturum sit, multò plura ex iis elici posse, quam à me quidem, quæ pauca erunt, deducantur.

DEFINITIONES.

I.

Actio moralis est actio humana cum honestate vel turpitudine coniuncta.

2.

Lex est norma actionum humanarum à superiori præscripta.

3.

Actio per se honesta dicitur, quæ in sua natura, adeoque intrinsecè extra respectum ad legem honestatem moralē involvit.

B 2

Actio

JX 4.

Actio per se turpis vocatur, qvæ in sua natura citra legis impositionem malitiam moralem involvit.

5.

Materiale actionis moralis est, qvædcunque à potentiss homini con- genitus, ut talibus, procedit; & est aliquid reale ac physicum.

6.

Formale actionis moralis est qualitas s. affectio moralis, juxta qvam- actio bona vel mala in genere morum dicitur.

7.

Actio indifferens est, qvæ non involvit moralitatem, seu, qvæ neqve bona neqve mala in genere morum est.

8.

Per impositionem s. determinationem legis non solum intelligitur ea, qvæ citra ullam necessitatem fit, sed etiam illa, qvæ quidem necessitatem, verum non absolutam, sed tantum hypotheticam requirit.

9.

Idea nihil aliud est, qvam conceptus, qvī rem intellectui objectivè repräsentat.

10.

Realiter à se invicem distincta dicuntur ea, qvorum unum potest si- ne altero esse.

II.

Causa moralis est, qvæ effectum vel directe vel indirecte intendit.

A X I O M A T A.

I.

Actio moralis vel honesta, vel turpis est.

2.

Bonitas vel malitia moralis involvit relationem.

3.

Relatio verò hæc vel respicit legem, vel subjectum, qvod ratione- vel regre uititur, vel abutitur.

4. Non

4.

Non utitur homo rectè ratione suâ, nisi simul ad legem à DEO præscriptam, saltem socialitatis attendat.

5.

Actio moralis duo involvit, materiale & formale.

6.

Omne positivum, & physicum, quatenus tale, non est moraliter bonum aut malum.

7.

Cujuscunqve concreti materiale habet se per modum subjecti in ordine ad formam ejusqve contrarium.

8.

DEus ad qvarumvis actionum materiale concursum realem atque positivum præstat.

9.

Physicum, quatenus tale, realiter ab eo, quod morale est, distinguitur.

10.

Formale actionis moraliter mala, non est aliquid reale & positivum; ideoqve causam non tam efficientem, quam deficientem agnoscit.

11.

DEus peccatum neqve directe, neqve indirecte intendit.

12.

Formæ rerum qvoad determinationem non dependent ab alio principio, quam à DEO.

13.

Nihil est, cuius existentia causa non rectè qvari possit.

14.

Voluntas Divina ad actus alios præcipiendos, alios vetandos, necessariò quidem cerebatur, verùm hæc necessitas non erat absoluta, sed tantum ea, quam ipsa sibi fecerat.

POSTULATA.

I.

Postulo, ut cogitent lectors, quam multa præjudicia inde ab infan-

tia hauserint, & quantum illa ipsis in clara distinctaque cognitione officiant.

2.

Imprimis cogitent, præjudicium aliquod de actionibus per se honestis & per se turpibus subnasci potuisse ex eo, quod ipsis à pueris illatum honestas vel turpitudo inculcata est.

3.

Ut per se notas propositiones, v. g. Nihil DEum necessitat, nullum principium est ab extero, nisi in ipso DEO inventatur; similesque apud Le probè expendant; Ita enim facile videbunt, nulli rei moralitatem posse competere, nisi propter relationem ad voluntatem Legitoris.

PROP. I.

Actionis moralis duo involvit, qua nunquam coincidunt, sed semper realius distincta manent.

Et hæc duo sunt actionis moralis materiale atque formale (ax. 5.) quæ realiter diversa esse, ex utriusque conceptu liquet. Materiale enim est aliquid reale & physicum (def. 5.) Formale autem est moralitas (def. 6.) Physicum vero, quantum tale, realiter ab eo, quod morale est, distinguitur (ax. 9.)

PROP. II.

In nulla actione morali materiale necessarium nexus, & omnem ad extrinsecum quiddam respectum excludentem cum formalibet.

Materiale enim cum formalibet conjunctum actionem moralem constituit (def. 1.) quæ vel honesta est vel turpis (ax. 1.) Ultraque vero ad extrinsecum quiddam involvit respectum (ax. 3.)

PROP. III.

Non dantur actiones sine respectu ad legem honeste vel turpes.

Omnis enim moralitas involvit relationem (ax. 2.) Relatio autem est vel ad subjectum agens, vel ad legem (ax. 3.) si hoc, habetur quod erat demonstrandum, si illud, rursus simul involvitur ad legem respectus (ax. 4.)

S. XIII.

§. XIII.

A criter hic, &c, quantum fieri potuit, validissimis argumentis prouinavit: Sed audi, quæsio, contine plausis tuos; & ne inaniter exulta-
Adversarium me tibi sistam. In affirmativa versor, quam ita decurram,
ut primò assertionis meæ solidâ fundamenta ponam, deinde ictus à te mihi intentatos elidam. Igitur actiones honestas & turpes sine respectu ad legem dari, contendô, rationemq; formalem honestatis & turpitudinis earum afferro convenientiam vel inconvenientiam cum subjecto agente: homine nimisrum esse. Sanè enim si vel maximè ab omni lege præscindamus, subjecti tamen, hominis, naturæ rationali qvædam congruent, & erunt facienda, adeoque honesta; qvædam verò non congruent, & erunt fugienda, adeoque turpia. Qvamvis enim alias inter id, qvod alicuius naturæ convenit & honestatem; item inter id, qvod alicuius naturæ disconvenit & turpitudinem non intercedat necessarius nexus; hoc tamen casu eum manifestè deprehendimus. Haud dubiè enim hac regula expedita veritatis est: Qvicquid ratio nostra etiam abstractivæ & scorsim ab omni lege considerata dictitat faciendum, propterea quia sibi id maximè conveniat, id erit honestum; & qvicquid ea dictitat fugiendum esse, quia sibi maximè repugnat, id erit turpe. Et si vero qvædam actiones, qvas imperatura vel vetitura esset ratio, qvamvis nullâ lege imbuta, dubitari non potest. Qvod magis reddetur clarum; si modò quis ad formalem rationis concepium attendere velit. Sanè intelligi non potest ratio sine facultate cognoscendi, ratiocinandi, unum ex altero colligendi &c. quam si admittis, necessum est, largiaris etiam rationem hanc suam potentiam in actum deducturam fuisse, adeoque cognitorum qvædam actiones vel convenientiam cum sua natura, vel inconvenientiam involvere. Illæ ergo actiones per se honestæ & per se turpæ sunt, constituantq; legis naturalis supervenientis objectum. Profectò enim, ut ad exempla deveniamus, DEum v. g. blasphemare, non idem turpe est, quia DEus prohibuit, sed idem ab ipso prohibitum, quia turpe in se & sua natura est, dum & inconvenientiam cum attributis divinis, & cum subjecto ratione prædicto involvit. Homo enim quatenus rationalis est, etiam si ab omni lege præscindas, sine dubio tamen intelligit turpitudinem actus, qui suum Creatorem lacescat. Hunc igitur actum ita absolute & in se turpem DEus necessario prohibuit. Neque necessitas illa, qvæ blasphematiæ ab Homine virtute solum

20

solum hypothetica erat, sed planè absoluta. Cui enim, quæso, conditioni necessitas illa innitebatur? An illi, quod rectam rationem homini volebat indere? Quid verò? An poterat ergo aliter? Annon homini rationem necessario tribuit? Poteratne Homo sine ratione produci? Ais: Illa ergò saltem conditio subfuit, quod volebat creare Hominem. Sed enim hac conditio non potest considerari ut conditio, cum ejus existentia in ipsa blasphemia involvatur; utpote quæ semper ponit hominem. Notum verò est, necessitatem, quæ conditione nittitur, illâ impletâ, fieri absolutam. Igitur etiam si abstrahamus à lege naturali, modo ponamus hominem, & per consequens rationem, blasphemia erit turpis, cum & Attributis divinis, & ipsi subiecto disconveniat. Quare cum DEUS homini creato legem naturalem inseruit, non poterat aliter, nisi blasphemianus per se turpem notare; ut adeo lex illa blasphemiae prohibitiva, non impuneret moralitatem, sed, quæ jam ante erat, deterget, magisq; manifestaret. Ibimus per exempla nonnulla alia: Homicidium scilicet sine iusta causa patratum per se contendo turpe esse. Qvamvis enim præscindamus à lege omni; tamen homicidium præsupponit hominem, & per consequens rectam rationem, quæ non potest non id vetare, quod in sui ipsius salutem atque utilitatem pugnat. Ais: Rectam rationem præsupponere ad minimum legem socialitatis; adeoque homicidio omnem ab hac lege moralitatem esse. Sed quæso Te, responde mihi: Si rectam rationem non potes concipere, quatenus abstrahit ab omni lege; cur dicas, occisionem hominis per se spectatam esse indifferenteam, cum ita per se sive abstractive concipi non possit. Qvocunque enim modo spectetur, præsupponit hominem, adeoque rectam rationem, sine qua is esse aut considerari nequit. Ita etiam, ut plura exempla adducam, adulterium committere, fidem violare &c, per se turpe est. Sanè enim, si fingamus nullam legem à DEO homini impressam; tamen ductu rationis sua, qvam necessario nihilominus habiturus esset, cognosceret in honestum & turpe esse, cum fœmina, quæ cum alio in consortium speciale consenserit, concubere. Qvamvis enim, quod à multis solet objici, nulla lex alteri fœminam istam addicere, tamen profectò per solum illum mutuum consensum jus sibi alter quæsumum habet, quod violare, ratio sibi etiam relicta & absq; omni lege judicarer malum. Fateor eqidem, cadere nonnulla sub juris naturalis objectum, de quibus, qvomodo sine respectu ad legem moralitatem involvant, ita facile demonstrari non potest, ex quo tamen non sequitur; ea per se bona vel mala

mala non esse, sed illud exinde fluit, moralitatem eam à nobis clarè distincte & adæqvatè sine lege cognosci non posse; qvod amba-
bus largimur manibus. Lex enim regula veluti est, ad qvam o-
mnium actionum moralium, qvamvis fortasse intrinsecè talium bo-
nitas vel malitia æquitas vel iniqvitas metienda est. Hinc, qvemad-
modum curvitas lineæ fieri nisi per regulam exactè habetur, qva ta-
men remotâ, ipsa curvitas manet; ita, remotâ etiam lege naturali,
tamen actiones moraliter bona vel mala dantur, qvamvis moralita-
tem illam non in omnibus æqvè exactè deprehendamus, atqve fit,
cùm lex accessisse censemur. Qvod jam dudum animadvertis acutissi-
mus Scherzerus in *Breviar. Eustach.* p. 270. seqq. & Summè Revere-
rendus Dñ. L. Cyprianus, Praeceptor noster perpetuâ veneratione
Colendum, cuius Eruditissima Dissertatio de Indifferentismo Morali in-
tegra huc meretur legi. Sed declaravi mentem meam satis, & qvod
confido, haud contemnenda assertionis mea fundamenta jeci. Per-
gam nunc, & qvod promisi, adversario meo arma, qvibus superbit,
executiam; h. e. argumenta superius allata confringam. Et ordine
quidem procedere libet, ut, qvid in singulis momenti sit, experien-
muri. Et I. conceptum quidem actionis moralis qvod attinet, con-
cedo, involvere cùm respectum sed non ad legem semper, verum
aliqando ad solum subjectum agens, qvod fuâ ratione vel utitur vel
abutitur, neqve vera ratiæ includit respectum ad legem socialitatis,
cùm sine hac lege concipi possit homo, qvi tamen sine ratione in-
telligi non potest. Ad II. respondeo, qvamvis materiale actionum
moralium commune sit, hoc tamen nihil vetare, qvo minus ipsum
hoc materiale possit sibi intrinsecè & absqve relatione ad legem con-
junctum habere formale. Cur enim duo hæc stare simul non possint,
nulla sane ratio apparet. Dubium III. dissolvitur, si distingvamus
inter materiale simpliciter, etiam ab ipso subjecto abstractum, qvod
hominibus cum brutis commune est, & qvatenuis tale, qvod & ipsi
largimur, nullam moralitatem involvit, & inter materiale nonnullarum
actionum NB. humanarum, qvod qvamvis & hic non nisi mo-
tus physicus sit, tamen, cùm presupponat in subjecto rationem, qvæ
motum hunc sibi vel convenire vel non convenire judicat, habebit.

26

sibi etiam sine respectu ad legem intimè conjunctam moralitatem. Illud enim sanè à vero longissimè abit, qvòd dictum est, rationem sibi reliçtam, nullamq; imbutam lege illud solum dijudicaturam esse, qvid sibi utile vel perniciofum forer, non autem qvid honestum vel turpe. Qvamvis enim in nonnullis actionibus sub objectum juris Naturæ cadentibus res ita se habere videatur ob defectum regulæ, ut pote à qva abstrahimus, per qvam earum moralitas jam antè ipfis inexistens, sed obscurè cognita liqvidius apparet, tamen alia sunt, in quibus contrà res manifesta plane. Ita v. g. convitia in DEum evotare, ratio nostra etiam in eo statu, quo sibi concipitur relicta, non solum nocivum sibi, sed & turpe & inhonestum haud dubiè judicatura esset. Illud ob ejus potentiam & justitiam, hoc ob ruptum vinculum, quo ipsa productio seu creatio hominem divino Numinini obstrinxit Resolutio Argumenti in §. IV. formati nihil efficit, cùm ipsa hypothesi controversa, an nemp; actionum moralium formata, non nisi ex convenientia vel disconvenientia cum lege procedat, nitatur. Nec majus robur habent, qvæ in §. V. sunt allata, ubi queritur, unde illa actionum, de qib; loquimur, determinatio ad alterutram moralitatis partem proveniat? Est nimur illa partim ab eo, qvòd congruunt vel non congruant Attributis Divinis, partim qvòd convenientiam cum subiecto, quatenus tali, habent, vel non habent. Hinc gratis affingitnr sententia nostræ, qvæ ea principium extra DEum ipsi tamen coæternum inferret, per qvod actiones vel honestæ vel turpes sint factæ. Qvafso enim: Qvomodo id inde excuspi potest? Cùm & nos realem & actualem existentiam moralitatis non retrahamus ultra creationis tempus. §. VI. nobiscum plane consentit; Nam & nos non alii necessitati libertinam Voluntatem DEI adstringimus, qvæ exposita humana natura fluit. Hinc non dicimus, moralitatem actionum nonnullarum habere se antecedenter ad Voluntatem Divinam simpliciter, sed ad eam solummodò voluntatem, qvæ moralitatem actionibus illis imposuit. Ad ea, qvæ in §. eodem de necessitate absoluta & hypothetica dicuntur, jam suprà est responsum, demonstratumq; , necessitatem, qvæ DEUS actionibus nonnullis humanis moralitatem lege dedit, non con-

conditionalem sed absolutam fuisse. In §. VII. rectè afferitur, in subjecto, à quo actio bona vel mala procedit, debere obligacionem esse, sed simul minus rectè universaliter omnis obligatio dicitur ex lege penderet. Homo enim, etiamsi concipiatur nulla lex naturalis ei insita, sine dubio tamen sentiret obligatum se ob ipsum creationis beneficium D E O esse, ad cultum omnemq[ue] reverentiam ei præstandam, ut ut de eo voluntatem suam non declarasset D Eus. Cum id & Attributis Divinis, & rationi in subjecto inexistenti maximè conveniat. Dubium in eodem §. motum de concursu Divino ad actiones humanas leve est. Nullus enim h[ic] nexus; Materiale nonnullarum actionum malarum habet sibi intrinsecum coniunctum formale, ergo D Eus ad materiale concurrens, est causa peccati. Concursus enim DEI fit ad materiale actionum, præcise & simpliciter spectatarum, non quatenus à terminato subjecto procedunt, q[uo]d sensu indifferens dici posse materials, nihil abnuo. In §. IX. non rectè erui verum & genuinum sensum illius dicti: Præcepta I. N. sunt æternae veritatis, satis liquet. Est autem ille talis: Præcepta Juris Natura per se vera sunt sine respectu ad legem, & antecedenter ad voluntatem Divinam, actionum illarum moralitatem expressâ sanctione manifestantein, contra quem sensum nihil ibi allatum est. In §. X. nihil desideramus, nisi q[uod] pro causa impulsiva externa voluntatis, q[ua]d D Eus quædam lege naturali vertuit, quædam præcepit, non sola natura humana ponenda erat, sed simul etiam moralitas actibus illis intrinseca. Eadem voluntas Divina in §. XI. rectius fuisse dicitur naturalis, quam libera; cum actuuum, de quibus sermo, moralitas necessariam habitudinem ad eandem secundum haec tenus dicta involvat. Ad §. XII. accedo, ubi Adversarius geometrico more rem demonstrare aggressus est. Verum immemor in eo est Methodi Mathematicæ, q[uod]d conclusiones suas deducit ex talibus principiis, q[ua]e ipsa infirma sunt, & demonstratione opus habent. Definitiones quidem largimur omnes, sed inter Axiomata primò quartum aperte falsum est; Q[uod]d enim ita consideres hominem, ut abstrahas à lege naturali, vel non erit homo, & sic frustra à te considerabitur, vel habebit rationem,

qua recte ut etiam ad nullam legem attendendo queat. Deinde
in Axiom. 6. ambiguè dicitur, omne positivum, quatenus tale, non
involvere moralitatem. Quidam enim sermo sit de materiali actioni
num quatuorvis, etiam humanarum omnium, negatur per ea, quæ
suprà prolixè dicta sunt. Axiom. 9. ibidem negatur, si realis distinc-
tionis fundamentum in separabilitate, quod sit in definit. 10, ponatur.
Quæ principia, cum sint in demonstrando adhibita, mirum
non est, propositiones ex iis deductas robotis non satis firmi esse.
Quamobrem, cum appareat, nihil mihi tela illa in me jacta nocere,
hic finio, Æternoque Numinis grates praestiti in hoc labore auxi-
lii humillimas persolvo.



2

CO-



COROLLARIA.

I.

Mixtus Civitatis status à Thoma Hobbesio incep̄e impugnatur.

II.

Fundamentum, cui doctrinam suam de Cive Hobbesius omnem superstruxit, lubricum & vanum,

III.

Qvamvis Respublica civiliter pro una persona habeatur, ejustamen actiones malæ non semper singulis membris rectè imputantur, cùm ad peccatum non sufficiat voluntas illa politica & facta, sed naturalis desideretur.

IV.

Supervacua videtur esse divisio juris gentium in primævum & secundarium.

V.

Non est major civium in statu Populari libertas, qvā in Monarchico.

C 3

VI. Le

VI.

Legibus positivis humanis vis obligandi Legislatorem ipsum non quidem proprie sicut dicta seu coactiva, sed tamen directiva recte attribuitur.

VII.

In Naturam civitatis &c summi Imperii parum profundè inspexisse videntur, qui civi potestatem principem Tyrannum obtruncandi concedunt.

VIII.

Non peccat contra conscientiam suam Princeps, si, quam ipse veram credit Religionem, publicè non introducat; qvod tamen velle videtur Hobbesius Lib. de cive, cap. XIII. num. 5.

IX.

Athei non imprudentiae solummodo, qvod idem Autor contendit, sed vel maxime iniustitiae etiam rei sunt.

X.

Originaria dominii acquisitio corporalem actum desiderat; qvod in derivativa fecus.

XI. Fe-

A mūnū mūni cīr XI. Feræ bestiæ in libertate naturali constitutæ, qvamvis in alieno fundo etiam prohibente domino capiantur, jure tamen capienti cedunt.

XII.

Jus naturale non prohibit, usuras etiam à pauperrimo debitore exigenti actionem cum effectu sūppeditare.

XIII.

Fœdera publica in dubio pro realibus habenda, privatæ societates autem pro personatis libus.

XIV.

Dominum ad animal, qvod pauperiem fecit, noxæ dedendum, vel indemnitatēm præstandam obligari, Juri naturali convenientissimum est.

XV.

Læsionem usqve ad dimidium à Jure Civili, præcipue in emtione venditione tolerari, non contrariatur Naturali juri.

XVI.

Materiam corporum naturalium primam,


manū, constare ex congerie innumeratum Atomorum Mathematicarum; & olim Pythagoras & nostris temporibus cum aliis Caspar. Wyssius Prof. Genev. Phys. Part. II. c. 1. qvælit. i. absurdè asseruit.

XVII.

Notitia insita Hominibus de DEO, nec in actu primo nec secundo, sed potentia propinqva qværenda est.

SOLI DEO GLORIA!





ULB Halle
005 309 069

3



SB

V817

B.I.G.

Black

1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
Centimetres																		
Inches																		
1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19

Farbkarte #13

Blue

Cyan

Yellow

Red

Magenta

3/Color

White

Black

ORALIS

NUM
I, QVÆ
OBIECTUM
RIALI ATQVE

e gratia
ico consentiente
o

WERNHERI,
IPSIENSIMUM

.DC. XCVII.

censura

SOMMER, Lig Sil,
d.

ERIANIS.

1692, 129

28